



DISSE

JURIDICO - INAUGURALIS,

DE

VIRIBUS JURAMENTI,

REO SINE ULLO PRÆSUMPTIONIS ADMI-

NICULO AB ACTORE DELATI.

PROLOGUS.

I.

Pertinax, & adhuc anceps inter Jurisconsultos (cùm practicos, tum theoreticos) est disceptatio: possit-ne actor, omni alio probationis genere destitutus, reo, ne vel minimis gravato indiculis, deferre jusjurandum *litis* (quod vocant) *decisorium*. Ajunt, negantque divisi interpretes: nec rationes hisce sectis deesse videntur. Non memorabimus plura dissidentium nomina, nisi duorum duntaxat, qui tantâ in tribunalibus pollut authoritate; ut, si hâc sôlâ pugnetur,

A

netur,

netur, ipse nescias, cui sit assurgendum. Operæ
igitur pretium fuerit, utriusque partis expende-
re momenta; quæque tractarunt vel paulò frigi-
diùs, vel obscuriùs, luce donare vivaciore.

2. Dimicantes provocamus Architalassos:
MEVIUM nempe *part. 6. Decis. 405. & LEYSE-*
RUM in medit. ad pand. specim. 135. medit. 5.
„ Jusjurandum (ita ait posterior) etiam ab illo,
„ qui nullum planè, nec vero simile quidem,
„ argumentum pro se habet, deferri potest. „
Contrà priori placet, iis in circumstantiis locum
non esse jurijurando. „ Idcirco (inquit) non
„ fuit admissa delatio juramenti judicialis in ta-
„ li specie, ubi auctor exigebat pro ædificii impen-
„ diis centum ultra ea, quæ in chartâ exhibitâ
„ reus promiserat: Cùm additum esset, pro sum-
„ mâ expressâ omne, quo opùs esset, ædificari
„ debere.

C A P U T I.

*Referuntur ajentis sententiæ
momenta.*

3. Duplicis sunt generis: quædam à ratione,
quædam ab expressâ Legum auctoritate suppedi-
tari,

tari, creduntur. Hæc (postrema scilicet) quæ
sint, hic loci videamus. „ Tutor pupilli (ita
„ PAULUS in leg. 35. ff. de jurejur.) omnibus
„ probationibus aliis deficientibus, jusjurans
„ dum deferens, audiendus est. „ Atque solâ
hac diremptam esse controversiam, putat LEYSERUS.
Conglobant alii quām plurimas; quas
inspexisse, non erit inutile.

4. „ In omnibus visionibus (sic idem PAULUS in leg. 25. §. 3. ff. de probat.) quas præposuimus (malunt alii : proposuimus) licentia
concedenda est ei, cui onus probationis in-
cumbit, adversario suo de rei veritate jusju-
randum inferre. „

5. Gemina (& æque generatim) statuit
PRÆTOR in leg. 34. §. 6. ff. de jurejurando. dum
ibidem edicit: *eum, à quo jusjurandum petetur,*
solvere, aut jurare, cogam.

6. Iterùm PAULUS in leg. 38. ff. de jurejur.
dicit: *manifestæ turpitudinis & Confessionis est,*
nolle nec jurare, nec jusjurandum referre.

7. Eò etiam collimant, quæ in leg. 12. C.
de reb. cred. statuit JUSTINIANUS IMPERA-
TOR. „ Omne (inquit) juramentum, sive à

„ judicibus sive à parte illatum , vel *in principio*
 „ *litis*, vel in medio, vel in ipsa definitivâ senten-
 „ tiâ, sub ipso judice detur ; non exspectatâ vel
 „ ultima definitione , vel provocationis formi-
 „ dine. „ Si itaque in ipso litis principio jusju-
 randum liceat deferre ; fiet sine dubio eo tem-
 pore, quo nihil adhuc ab auctore est probatum.

8. Et hæc firmari magis videntur per *leg.*
ult. Cod. de jure deliber. §. 10. „ Licentia (sic re-
 „ scribit idem Imperator) danda creditoribus,
 „ vel legatariis , vel fideicommissariis , si majo-
 „ rem putaverint esse substantiam à defuncto de-
 „ relictam, quām heres in inventario scripsit . . .
 „ ut possint hoc probare *per juramentum illius*
 „ (heredis nempe) *si aliæ probationes defece-*
 „ *rint.* „

9. Eadem jam ante in *leg. 9. Cod. de reb. cred.*
 statuerant Imperatores DIÖCLETIANUS , &
 MAXIMIANUS; Ubi sic Respondent MARTIA-
 NO: *delata conditione jurisjurandi*, *reus . . .*
vel solvere, *vel jurare . . . necesse habet.*

10. Hactenus de legum (queis nituntur ad-
 versarii) auctoritate. Audiamus nunc eorundem
 rationes, Optabilis (sic ajunt) & Reipublicæ , &
 cuivis

cuivis reo debendi, est expedita hæc juramenti deferendi facultas. Reipublicæ quidem: quia facile jurgia litesque componuntur; ac proinde conservandæ quietis in promptu est remedium. Reo etiam debendi: dum testis, quin & Judex, in propriâ fit causâ. Addunt: integrum actori est, ante omnem etiam probationem articulos (ut vocantur) *dandorum* Judici porrigere, & ius auctoritate reum compellere, ut (*juratd* etiam) ad eosdem respondeat; quidnî igitur licet, jusjurandum, quod totam componat controversiam, deferre? Maximè ubi vir pius paulò fidentius, quam par erat, (scilicet nec scripturâ, nec testibus adhibitis) peramplam fortè credidit pecuniæ copiam: Cum, sine hâc juramenti deferendi facultate, de pietate certò certius sit triumphatura impietas. Atque inde est, quod (si Clarissimo LEYSERO sit fides) hæc doctrina hodiecum plerisque improbetur jurisconsultis. Habes rationum, quas jaëtant, pondera; Habes & legum, quibus utuntur, momenta.

CAPUT II.

Negans Sententia proponitur : Comprobatur : Lege & ratione firmatur.

II. Controversia (quod audiisti n. 1. & 2.) de eo est: an actor, nullis omnino probationum adminiculis instructus, possit reo (ut ut ne vel minimis sit gravatus indiculis) deferre juramentum *litis* (quod vocant) *decisorium*. Hic disceptationis nostræ est cardo. Fieri id posse, post alios negat (quod etiam audiisti) **M E V I U S**, jurisconsultus gravissimus. Et rectè omnino negat; quanquam rem frigidius, quam argumenti exigit dignitas, tractet; sola fere **COTHMANNI** contentus auctoritate.

12. Addamus proinde Lucem. „ Auctore „ (inquit **ANTONINUS** imperator in *leg. 4. Cod. de edend.*) non probante, qui convenitur, et „ si nihil præstat, obtinebit. „ Idem, ac vix non iisdem verbis jubet **GREGORIUS** nonus Pontifex in *Cap. final. 2. de jurejur.* „ Sanè (sic ait:) „ si actor omnino in probatione defecerit, reus „ debet (etsi nihil præstiterit) obtainere. *Præsumptione* vero (sic pergit pontifex) faciente
pro

„ pro illo; reo deferri potest, ad ostendendam suam
„ innocentiam, juramentum. „ Bina hæc utriusque
juris effata adeo nobis videntur clara, atque
adeo efficacia; ut, propensiùs aliquid hanc in rem
dici posse, non putemus. Expendamus verba
paulò curatiùs. *Actore* (inquiunt summi Legis-
latores) *non probante*, *reus est absolvendus*; *etsi*
nihil præstiterit. Hæc sanè oratio vel sanum non
habet sensum, vel de eo intelligenda est proba-
tionis genere, in quam nihil conferat reus: ideo-
que ordinariam maximi hi utriusque Reipublicæ
principes ab auctore exigunt probationem; ut,
hac deficiente, reus sit absolvendus. *Obtinebit*
enim; *etiamsi nihil præstiterit*. Nihil - ne forte
sit, jurare debere, & jurando suam *probare* in-
nocentiam? Ad extremas delabitur ineptias,
quisquis ità loquitur. Sed pergamus. Dicit pon-
tifex: *si verd præsumptio faciat pro auctore*; *reo de-*
ferri potest juramentum, ad ostendendam suam inno-
centiam. Consequens igitur est, reum, quoties
pro auctore *nulla facit præsumptio*, juramento ne-
quaquam onerandum; sed simpliciter (ut habet
prior pars orationis) esse absolvendum: *etiamsi*
nihil præstiterit.

13. Nec ratione carent hæc Legislatorum
 iussa. Nequit pars compellere partem, (nullum
 enim in alterum habet alter imperium) ut
 hoc præstet juramentum; Judex nisi consentiat,
 mandetque: quemadmodum nos docet ULPIA-
 NUS in dict. leg. 34 §. 6. ff. *de jurejur.* ibi. *jurare*
cogam. Quid nunc (dic sodes!) sit istud, quod
 prudentem moveat judicem; ut reum, quem
 debiti ne vel minimum redarguit indiculum, ju-
 rare cogat? Litium (sic forte respondebis) eo
 citius dirimendarum, est favor; qui judicem
 meritò compellat in assensum. Ità-ne vero!
 Quid si actor vel per documenta, vel per testes,
 suam satis ostenderit innocentiam; possit-ne ad-
 huc jurejurando vexari? Audi ALEXANDRUM
 tertium, pontificem in Cap. 2. ¶. *de probat.*
 „ Quoniam (ita ibidem ait) apud vos consue-
 „ tum esse didicimus, ut, cum aliquis intentio-
 „ nem suam fundaverit instrumentis, aut testi-
 „ bus, ei *Sacramentum nihilominus* deferatur:
 „ quod si subire noluerit, fides probationibus
 „ non habetur. Nos (cùm tunc demum ad hu-
 „ jusmodi sit suffragium recurrendum, cùm *aliæ*
 „ *legitimæ probationes deesse* noscantur) talem
 „ consuetudinem reprobamus. „ Hoc igitur
 fieri

fieri non debere, fateris. Quæ ratio? ubi ordinariæ (hæc respondes) sunt *probationes*, subsidiariæ exulent, necesse est. Ita bene. At vero cur exulent? Quia (sic pergis) ubi per *probationes ordinarias* in liquido sunt omnia, subsidium quocunque *probationis* abundat omnino: ideoque tremendum divini vindicis nomen vanè (quod impium) invocaretur. Ubi igitur (sic colligimus ex dictis tuis) omnia sunt in liquido; ibi (vel fatente te) impium est, jurejurando uti. Sed poterit-ne adversarii tui innocentia magis esse in liquido, quam tunc, si ne vel minimum eandem redarguat indiculum? Nunquid proinde, & hic impium est, jurejurando uti? Scimus VINNIO (vide lib. I. select. quæst. cap. 42.) videri argumentum esse à dissimili: „Nam (sic conatur ostendere) cum actor „instrumentis aut testibus intentionem suam „legitimè probaverit, & de jure suo plene docuit, jam *causa est satis liquida*; ut non oporteat eum onerari superfluo juramento: at nullâ factâ probatione; contendente actore sibi deberi, reoque id negante, res est dubia, atque adhuc decidenda. Et quia deficit probatio ordinaria, configiendum ad subsidiariam,

B

illa-

„ illato jurejurando „ ita ille. Sed quomodo possibile sit, rem esse dubiam, ubi ne levissima quidem contra reum stat conjectura? Quid suspendat (quin & in actoris partem rapiat) animum judicis, ubi nihil omnino invenitur, quod eundem ad hujus inclinet commodum? Nobis, qui hæc non capiunt, eò devenisse videntur; ut *album* negent *album*: etsi, nihil alterius coloris adspersum esse, ipsi fateantur. Optima, maxima, est innocentia, cui haec tenus nihil est affrictum labis. Et hanc (quamvis judici sit paten-tissima) innocens ille magis adhuc ostendat per Juramentum? In suo genere quod optimum, quod maximum est; majus, meliusve fieri, non potest.

14. Apparet (sic obloqueris) sæpe quis in-nocens; quem, si intimos animi recessus inspi-rere liceret, deprehendes sceleratissimum: ne-fas igitur (sic colligis) non est, latentem veri-tatem jurejurando (metu nempe divini vindici-s) extorquere. Sed nunquid & talis esse po-test, publicè qualis apparet? Id non negas. Quæ igitur judicis partes? Hæ sanè, quemlibet ut habeat innocentem, donec ostendatur no-cens.

cens. Vertamus argutias: non-ne & is, qui jusjurandum defert, impius esse potest; ut ut appareat pius? Vides itaque nihil esse haec tenus, quod moveat judicem, ut in præproperam consentiat Juramenti delationem. Sola si sufficeret doli possilitas; eum etiam, qui latam pro se habet sententiam, jurejurando præterea onerari, nefas non foret: cum posset habere conscientiam sententiæ non æquæ. Immò, qui delatum præstigit juramentum, tutus nondum es-
set: quia poterat pejerasse. Ecquid nunc istud, quod ejusmodi sententiam, quodque Juramen-
tum (ut ut à perjuro possit esse præstitum) per aliud Juramentum non patitur infringi, vel cor-
roborari? Pro latæ sententiæ (inquis) proque Juramenti justitiâ, veritatis fortissima pugnat *præ-
sumptio*. Ita verè: sed pro innocentia, cui ne
vel minimum affictum est labis, an minor for-
tè stet præsumptio? tanta est, ut major esse non
possit: cum nihil sit, quod ipsi officiat.

15. De internis (ut habet vulgatum) non
judicat prætor: quippe quæ nota non sunt ipsi,
nec Reipublicæ noxia. Capiens proinde, quam
scitè statuat pontifex, *tunc tantum* (vide n. 12.)

reō posse deferri juramentum ad ostendendam suam innocentiam, si pro actore faciat præsumptio: cùm jam sit, quod possit, quodque debeat, abstergi. Neque enim innocentia, quæ vel tantillum habet adspersum maculæ, plena amplius est dicenda. Contrà & hoc (quod ex elegantissimâ pontificis sententiâ est consequens) ultrò nunc fateberis, non posse reum, quem ne vel tenuissima suspectum reddit conjectura, Jurejurando onerari: cum nihil jam sit, quod abstergatur; maneatque innocentia optima, maxima.

16. Et quodnam huic jurijurando nomen? ubi ob inopiam probationum à solo defertur iudice; purgatorium audit: quia purgat reum *præsumptionibus, contra eum facientibus.* An fortè ejus aliud hīc sit munus? Responde; siquid habes viro dignum! pontifex à nostrâ stat parte: tu, quem patronum sis consecuturus, videris. *Purgatorium* itaque si sit, ut verè est; rem omnino confessam putemus. Et ita omnes (doctrinæ si amant constantiam) loqui debent, quotquot cum CARPOVIO p. 2. Const. 15. defin. 36. n. 7. dicunt, jusjurandum verè esse *torturam spiritualem:* cum (quod notissimum est) torturæ contra non gravatum locus esse non possit.

17. Ad-

17. Adhæc periculosa nimis est Clarissimi
 LEYSERI doctrina: quia pessimorum hominum
 pilam, ludumque facit quemcunque probum.
 Finge pescatorem africanum, navi in mediterraneo vectum, subitâ tempestate in Galliæ jactari
 litus: finge, hominem subdolum, fortunis va-
 cuum, lupi esurientis instar alienos inhiare locu-
 los. Hic, mordacem (sed & superciliosam) ut
 compescat famen, quid agat? promptissimum ei
 remedium suppeditat adversariorum opinio.
 Quodnam istud? Expiscetur gallorum consciencias; &, quam tenerrimam deprehendit, lite
 adoriatur; statimque (ut videatur piè horrere
 lites) juramento oneret. Poterit-ne peste hâc
 major altera in Galliæ sinu foveri? Nec putes,
 narrari fabulas: dum ignorare non debes, haud
 paucos esse, qui, fortunis omnibus exui, quâm
 jurare, malunt. Ipsi novimus sponsam, sanguine
 illustrissimam, & moribus castissimam; quæ
 ubi futuræ successioni erat renunciandum, hæc-
 que renunciatio jurejurando (ut exigebant loci
 mores) firmando, in amplissimâ testium illustris-
 simorum corona dicebat, malle se carere omnibus
 parentum bonis, quin & amatissimum potius
 amittere sponsum, quâm jurejurando quâcun-

que de causâ conscientiam obstringere. Ne ipse
quidem gentilismus id genus ignorabat exempla:
” Quæ sub conditione jurisjurandi relinquentur
” (ita ULPIANUS in l. 8. ff. *de condit. instit.*) à
” prætore reprobantur. Providit enim, ne is,
” qui sub jurisjurandi conditione quid accepit,
” . . . perderet hæreditatem, legatumve: aut
” cogeretur turpiter accipiendi conditionem ju-
” rare. Voluit ergo eum, cui sub jurisjurandi
” conditione quid relictum est, ita capere, ut
” capiunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi con-
” ditio inseritur. Et rectè: cùm enim faciles
” sint nonnulli hominum adjurandum contemptu
” religionis; alii perquam timidi metu divini
” numinis usque ad superstitionem: ne vel hi, vel
” illi aut consequerentur, aut perderent, quod
” relictum est, prætor consultissimè intervenit
” . . . Gens, soli vix non carni nata, si hæc
viderit; cur cæcutiat christicola?

18. At (ais) rariora hæc sunt. An vel ideo
laxandum frænum; ut fiant frequentiora? Aliud
visum prætori: tibi cur non videatur aliud? po-
terit (huc confugis) referri Juramentum dela-
tum: sinè ope igitur, non est angusta consciен-
tia.

tia. Triste solamen! Cui referat? Certè deferenti. Quis hic? qui leviter proruit in judicium: levius jurat: levissime vivit ex alienis. Hæc viæ tam salebroſæ est meta: hic doctrinæ illius fructus.

CAPUT III.

Satisfit contrariis.

19. Hæc ut removeantur facilius, meminisse oportet, quod leges nostræ *probationum* locò nullibi habeant *præsumptiones*, *conjecturas*, ac reliqua quævis leviora *indicia*. Neque, ut hoc ostendamus, multo opùs est labore: cum notissimum sit, has ab illis quam cautissimè sejungi ubique. In pandectis præstò tibi est vulgata inscriptio: de *probationibus*, & *præsumptionibus*. Eadem enim si sint; certè abundat alterutrum. Præsumtio (in debito si intelligatur rigore) est probatione debilior: ideoque huic cedit. *vide leg. 24. ff. de probat.* Et quanta demum cunque sit (nisi sortè, quam *juris*, & de *jure* vocant, malè exceperis) dubium relinquit: dum probatio (legitima saltē) sistit veritatem. Unde & hoc

hoc est , quod probationem contrarii admittat præsumptio *vid. leg. 29. ff. eod. tit.* Quid multis? omnes (si non verbis , animo saltem) consen- tiunt , quod præsumptio sit anticipata de re du- bia opinio , ex argumentis , judiciis , & conjectu- ris , *per rerum circumstantias plerumque evenientes sumpta.* Probatio contra per documenta , per te- stes , vel tandem (subsidiariâ si sit opus) per jus- jurandum fiat , necesse est.

20. Quemadmodum igitur à separatis nun- quam idoneum est argumentum ad separata : ita probationem qui negat , minimè negare videtur præsumptionem . Licet proinde bene dicatur , quod , ubi legitima deest probatio , jurijurando sit locus ; pessimè tamen inde colligis , idem esse dicendum , ubi omnis etiam deest præsumptio : cùm (quod diximus , & inter omnes constat) à separatis ad separata non procedat argumen- tum.

21. His itâ constitutis , fallacia adversario- rum momenta ad incudem revocemus. Tu- tor pupilli (inquiunt) omnibus probationibus aliis deficientibus , jusjurandum deferens , au- diendus est: ita (quod auditum n. 3.) PAULUS in

in leg. 35. ff. de jurejur. Audimus hæc: sed, quid officiant doctrinæ nostræ, non videmus. Deficere dicuntur *probationes*, non tantum ubi prorsus nullæ sunt; sed & ubi non sufficiunt ad convincendum judicem: seu ubi *defectum* quendam (quod verè est *deficere*) patiuntur. Sic in leg. 3. §. 8. ff. de jure fisci dicuntur *deficere debitores*, quatenus non sunt solvendo: seu quatenus eorum fortunæ non attigunt mensuram debitorum. Hoc etiam sensu CURTIUS Lib. 4. Cap. 10. eleganter dicit, *deficere & vix spiritum trahere*. Certè qui spiritum (ut ut difficulter) adhuc trahit, nondum desiit omnino esse; dicitur tamen deficere. Verè igitur deficiunt (quod erat demonstrandum) *probationes*, quatenus debitam statuendæ veritatis non implet mensuram. Et inde est, cur Pontifex in *dict. Cap. final.* & *de jurejur.* dicat: *si actor (adverte animum) OMNINO in probatione defecerit; reus debet, etsi nihil praestiterit, obtinere.* Habes, quām non faveat PAULUS adversariis. Sed demus, velle jurisconsultum, ut Jurijurando sit locus, omnis licet absit probatio: an idem jubeat, ubi omnis etiam abest *præsumtio*? Altissimum de hâc est silentium. Sejuncta igitur quæ nosti, eadem jam non dicas. Quem latronem,

C

ne-

megas; an eundem & sūrem non esse, hoc ipso
dicas? Nolumus huc referre decantissimas alio-
rum querelas: nempe quod TRIBONIANUS haud
rarò (nīmio brevitatis studio) leges truncārit,
justoque minora nobis servārit frustilla; ut jam,
quæ olim fuerint litigantium narrata, ignoremus.
In eo erimus, ut tibi ostendantur *præsumptiones*,
quæ in datâ specie pro tutore faciunt. Qui pu-
pillo tutor datur, ob eximum candorem, singu-
laremque morum castitatem, è pluribus felicitur:
egregiæ igitur honestatis, publico testimonio
comprobatae, consecutus est *præumptionem*. Por-
ro qui tutor est, non propriæ, sed alienæ studet
utilitati: proinde vel ex hâc causâ fortior sinceri-
tatis præsumptio pro eodem pugnat, quam pro
adversario, proprii duntaxat commodi studio.
Adhæc, tantus in Jure nostro pupillorum (qui
miserabiles inter censentur) est favor; ut, eo-
rum causâ, à regulis quam sæpiissimè recedatur;
quod, dum notissimum est, exemplis illustrare,
nil juvat. Recta igitur ratio prohibet, ab hoc
ad alium quemcunque, non miserabilem, duci
argumentum. Poterat tandem pupillus, poten-
terat & tutor, facta juraque patris defuncti igno-
rare inculpatè: eadem proinde ratio vetat, ex-
emplum

emplum dict. leg. 35. ff. de jurejur. iis qui majores, suique Juris sunt, universim prodesse.

22. Quod ex leg. 25. §. 3. ff. de prob. exsculpunt adversarii, quodque n. 4. retulimus argumentum, tale est, ut nobis quam impensissimè faveat: cùm ibidem PAULO curæ sit, in dubio quid statuere oporteat. Inspice legem; & vera hæc deprehendes.

23. Levia sunt, quæ ex leg. 34. §. 16. ff. de jurejur. & ex leg. 38. ff. eod. (vide n. 5. & 6.) obmoventur. Optimè statuit PRÆTOR: eum à quo juramentum petetur, solvere, aut jurare, cogam. Optime etiam docet PAULUS: manifestæ turpitudinis & Confessionis est, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre. Sed hæc quid contra nos? Loquitur uterque de jurejurando, non tumultuarie sed legitimè, delato. Ita certè: cùm alias fatendum sit adversariis, nimiam hanc facilitatem ab IMPERATORE ANTONINO indicet. leg. 4. Cod. de edend. (vide n. 12.) esse castigatam, atque à PONTIFICE in cap. fin. 2. de jurejur. ad limam CHRISTI esse redactam.

24. Levius est, quod ex leg. 12. Cod. de reb. cred. (vide n. 7.) exsculpunt argumentum. Fac

enim reum, à judice vocatum, non comparere: fac impedimenti loco morbum (quem fingebat artificiosè) causari, atque ità *litis contestationem* impediri. Poterit hoc in casu usque adeo ante cœptam litem tergiversanti reo, morbi causâ (*fictus.* ne scilicet, an verus sit) jusjurandum re-
tè deferri. Quamvis enim adhuc desit *probatio;* certe non deest *præsumptio:* dum quilibet com-
parere posse censetur; donec legitimum ipse ostenderit *impedimentum.*

25. Levissimum est, quod nobis (n. 8. & 9.) obtrudunt cum ex leg. ult. *Cod. de jur. deliber.* tum ex leg. 9. *Cod. de reb. cred.* Responsionem enim habes ex dictis n. 21. & 23.

26. Gravioris momenti videntur, quas à ra-
tione petunt, argutiæ. Lustremus singulas; ne
quid difficultatis superesse, sinamus. Putant
Adversarii (vide n. 10.) expeditam hanc *jura-
menti* deferendi facultatem & Reipublicæ, &
cuivis subdito, esse maximè optabilem: ideoque
summoperè commendandam, jactant. Sed cur
Reipublicæ? quia (sic ajunt) jurgia, litesque
quām facillimè componuntur. At vero, ut unius
ranæ se liberent coaxatione, totam veneno infici-
ciunt

ciunt piscinam hi viri : nempe minus malum ut elevant, majus (quin & maximum) invehunt. Serunt lites ; dum, litem eradicare, conantur amplissimum flammis , quas extinctas volunt, subministrant alimentum. Redi ad ea, quæ diximus n. 17. Ex his enim capies etiam, neque subditis (piis putâ) optabilem (detestabilem potius) esse effrænam hanc *juramentorum* deferendorum libidinem. Utique testis erit , & judex. Sed quâ in causâ ? Diaboli certè (da veniam verbo) non in propriâ : cum , ne vel tenuissimum justæ controversiæ indicium adesse, fatearis.

27. Potest (sic pergunt) litigator onerare litigatorem alterum *juramento respondendorum*, potest & *calumniæ juramento*: etiamsi nihil præcesserit *probationis*. Utrumque stabiliunt per receptam in Germaniâ praxin ; & posterius confirmant per clement 2. de verb. significat, per leg. 14. §. 1. cod. de jud. & per leg. 2. prin. cod. de jure-jur. propter calum.

Nihil proinde (sic colligunt) obest , quo minus de *juramento litis decisorio* (quod pars defert parti) idem dicatur. Respondet R. P. SCHMALZGRUEBER , sat latum esse discrimen : eò

C 3.

quod

hoc dirimat, illa tantum præparent controver-
siam. Vide doctorem celeberrimum in *jur. Eccles.*
tit. de jurejur. §. 3. n. 29. Idem respondet R. P.
PICHLER in *jurisprud. sacrâ eod. tit. n. 5.* Verum
non videntur satisfacere viri doctissimi: cùm non
quæratur, quæ sit vis juramenti; sed de eo di-
sceptetur, an sine ullo *probationis*, *præsumptio-*
nisque adminiculo deferri, fas sit. Quod sanè
si in uno casu sit integrum; vix ostendes, in al-
tero cur non liceat. Cæterum ipse LEYSERUS
(quantocunque demum studio nobis adverse-
tur) argumenti propositi agnoscit cariem; quem
proinde audire, juvat. „ Inter quæstiones, sic
„ scribit in *specim. 121. medit. 3.*) quæ in utram-
„ que partem disputari possunt, illa quoque est,
„ sit-ne consultum, positionum usum è judici-
„ ciis tollere. Multum incommodi illas habere,
„ negabit nemo. Præcipua, quæ ex iis nascun-
„ tur, mala sunt, quòd frequentiam juramento-
„ rum, per quam eorum vis, & auctoritas ma-
„ ximè vilescit, inducant; quòd perjuria pluri-
„ ma efficiant; & quòd disputationes varias ex-
„ citando, lites dilatent magis & amplifcent,
„ quàm extenuent. Propter incommoda hæc
„ positiones è foris Saxonicas, Brandenburgicis,

,, An-

„ Anhaltinis, Magdeburgicis, jam diu sunt ex-
 „ terminatae; atque nuper etiam in ditionibus
 „ Hannoveranis abrogatae. „ Hæc differit vir
 clarissimus de juramento respondendorum.
 Sed quid de jurejurando, quod *calumniæ* vo-
 cant? „ Miror sæpe (ita habet in *specim.* 140.
 „ *medit.* I.) & improbo nimiam magistratum,
 „ & jurisconsultorum in decernendo jurejuran-
 „ do calumniæ facilitatem. Decernunt id ferè
 „ semper, quoties alterutra pars hoc poscit: et si
 „ opus non sit; nec ipsi (attende) ullam ca-
 „ lumniæ suspicionem animadvertiscant. Impri-
 „ mis, ubi super præstatione jurisjurandi delati
 „ interloquuntur, necessarium putant, deferen-
 „ ti simul Jusjurandum calumniæ imponi. Fa-
 „ ciunt hoc, non ut calumniam, cujns metus
 „ sæpe nullus est, excludant; sed ne alter, si
 „ solus juret, injurium hoc sibi credat. Itaque
 „ non recordor, vidisse me sententiam, quæ Jus-
 „ jurandum delatum comprobarit; quin for-
 „ mulam illam suetam: *prævio jurejurando ca-*
 „ *lumniæ*; adjecerit. Videtur hoc quidem cum
 „ leg. 34. §. 4. leg. 37. *de jurejur.* & leg. 9. *cod.*
 „ *de reb. cred.* convenire: at (hic rursus
 „ adverte animum) non convenit cum pietate

&

„ & religione ; quæ nomen Dei vanè usurpari,
 „ & Juramenta superflua præstari, vetat. Ne
 „ que etiam convenit cum Jure canonico; quod,
 „ judicem jusjurandum hoc à partibus exigere
 „ jubet, quoties viderit expedire. *cap. 2. §. 2.*
 „ *de jurament. column. in 6.* peccat itaque judex,
 „ qui arbitrio hoc, sibi dato, non utitur; sed
 „ promiscuè sacramenta calumniæ decernit; &
 „ sic, ut sanctitas eorum vilescat, ac contemna-
 „ tur, efficit. Contrà Jurisconsulti Helmsta-
 „ dienses sæpiissimè jusjurandum calumniæ, de-
 „ ferenti, et si alter id poscat, non imponunt,
 „ *quoties verosimiliter appareat, nullam calumniam*
 „ *subesse.* ”

28. Quid poterat apertiùs, quid favorabi-
 liùs dici in rem nostram ? Maxime cum ex ore
 inimici prodeat tam amica confessio. Vides igitur
 (*juramentum respondendorum* quod attinet) malè
 in testem adversantis sententiaæ vocari commu-
 nem universamque praxin. Non disitemur,
 quibusdam in locis contrarium quidem obtainere
 usum: sed & hoc novimus, eundem non esse
 nisi inveterati erroris partum. Vides etiam, quām
 non sinant sacræ constitutiones (fatente ipso-
 met

met LEYSERO) ad *juramentum calumniæ* pede tam libero decurrere; quāmque turbulentum sacramentorum lusum horreat recta ratio. Nec officiunt (ut ut id putet vir clarissimus) leges ab eodem jamjam (vid. n. 27.) adductæ: cùm plus non statuant, quām quod, cui delatum est *juramentum litis decisoriū*, à deferente possit exigere aliud, quod *calumniæ* dicimus. Potest sanè hoc exigere: sed an vanè, & imprudenter? Absit à legum nostrarum sanctitate tanta labes: absit quām longissimè à pii judicis assensi damnosa libido. Dices fortè: in *appellationis causâ* (verba sunt BONIFACII IX. in *cap. 2. de juramento calum.* in 6.) præstare debemus *calumniæ* *juramentum*: quanquām in principali (*causâ*) *juratum* fuerit. Sed hæc quid contra nos? Non negamus *jurisjurandi* *hujus usum*; sed vanè, petulanter, temerè, non esse *deferendum*, statuimus. Scimus in summo (quod palatinis est) *appellatio-*
num Tribunali appellantem non audiri; nisi priùs ejuraverit *calumniam*. At verò & hoc scimus, quod nemo magis de *calumniâ* sit suspectus, quām is, qui sententiam in inferiore *judicio* à *viris doctissimis* *juxta ac piissimis latam*, contra se habet; quique hanc *infringere* quocunque modo conatur.

29. Poterat (hæc addunt *eod. n. 10.*) vir pius paulò fidentius, quàm par erat, (nempe nec scripturâ, nec testibus adhibitis) peramplam credidisse pecuniæ copiam ; ut , sinè hâc juramenti deferendi facultate , de pietate sit triumphatura impietas. Poterat utique : sed nunquid & poterat evitare minùs prosperum eventum ? poterat omnino : quia & chyrographum exigere, & testes convocare, eidem erat integrum. Suæ igitur, quod cautiùs mercatus non sit, adscribat facilitati : suæ hanc oscitantiam det culpæ. Adversanti verò doctrinæ si sit locus ; nemo contra volitantes *juramentorum* (ita loqui si liceat) globulos erit securus : nemo non erit pessimorum hominum præda : nemo ullibi tutus. Neque mala hæc vel solertissimus (quantâcunque etiam vigilaverit curâ, & solicitudine) poterit declinare. Morbum , qui te offendit, unus altervè, & (quod audiisti) non sinè culpâ suffert : pestis verò, quam tua dispergit doctrina , omnes etiam inculpatos pessundet, necesse est. Impius enim si deferat jusjurandum impio, tot habebis perjuria, quot numerabis jurantes. Pio si deferat impius; hanc pietas subit aleam, ut aut ipsa sit exuenda, aut quævis fortunæ dona voracissimæ scele-

sceleratorum libidini sint relinquenda. At (ais) audacem nimis pruritum castigare, frœnumque malis injicere oportet. Audimus: sed quo fiat modo? Qui *juramentis* adeo ludit liberaliter, tuam sequitur doctrinam: in nullo igitur (te judece) peccat. Si hoc; quid castigatione dignum? Paucis : sententia tua vel legibus est consona; vel iisdem est dissona. Si primum; non peccatur præproperâ Juramenti delatione. Si secundum ; tua castiganda est doctrina, ceu amplissima tot malorum (quæ fateris) lerna.

30. Dicit tandem (& superciliosè dicit) clarissimus LEYSERUS, nostram sententiam plerisque Jurisconsultis non probari. Sed quinam hinc vel unum nominat Vir eruditissimus. Suppleamus igitur silentium. Cum LEYSERO faciunt JASON in *leg. 38. ff. de jurejur.* FACHINEUS *lib. I. controver. cap. 19.* WESENBECIUS *ad ff. tit. de jurejur. n. 9.* ZOESIUS *cod. tit. n. 35.* GILCKENIUS *in leg. 3. Cod. de rebus creditis.* VINNIUS (quem modò laudavimus) *lib. I. se- lect. quæst. cap. 42.* R. P. ENGEL *ad dict. tit. de Jurejur. n. 16.* & fortè adhuc alii. Neque enim, qui ratione legumque auctoritate pugnare amamus, in superstitione doctorum cultu salutem

quærimus. Sunt tamen (qui nostræ favent sententiaæ) nec numero, nec dignitate, nec certè eruditionis solidæque doctrinæ famâ impares; ut in eo erraverit LEYSERUS, quod, plerisque doctrinam illam improbari, asserat. Et hi sunt BARTOLUS in leg. 3. Cod. de reb. cred. RIPA in leg. 31. ff. de jurejur. ABBAS PANORMITANUS in cap. fin. §. sanè iij de jurejur. n. 1. MENOCHIUS lib. 1. præsumpt. quæst. 81. n. 2. MASCARDUS vol. 2. de probat. conclus. 958. n. 7. R. P. HAUNOLDUS tom. 5. de j. & j. tract. 4 n. 987. R. P. WISTNER tit. de Jurejur. n. 26. R. P. SCHMIER in process. judic. cap. II. n. 132. R. P. SCHMALZGRUBER eod. tit. n. 26. & 27. R. P. PICKLER dict. tit. n. 4. & seq. pluresque alii; quos, quia legi possunt apud jam jam laudatos, huc conglobare, fructu est vacuum.

31. Vidimus, quām sint lubrīcæ, periculoſæ, damnosæque adversariorum rationes. In eo igitur simus, ut individuum (quem omnes fatentur) comitem (judicium puta) à jurejurando judiciali nunquam abstrahamus. Præprimis verò judex (hoc enim ex dictis consequens est) sit solicitus ; ut, quoties ejusmodi defertur Juramentum,

tum, non sine gravi ratione id comprobet: sicutque vanam divini nominis, deique testis, & vindicis invocationem cœcâ suffulciat auctoritate.

32. Quod reliquum est, DEO TER OPTIMO, MAXIMO, gratias agimus, quas possimus, amplissimas pro beneficiis, non tantum in hoc Jurisprudentiæ stadio, sed & toto vitæ tempore, tam large acceptis.

F I N I S.

COROLLARIA


- I. *Sine fructu est divisio legum.*
- II. *Spectata ratione evidens est, actiones ex delicto etiā sterili natas, ut damni persecutorias, transire in heredes delinquentis.*
- III. *Testamentum in quo filius est præteritus, est ita nullum, ut ne legata quidem valeant.*
- IV. *Idem dicendum de eo, in quo causa ex hac rationis est omissa.*
- V. *An filius familias de peculio adventitio irregulari testari possit, problema esto.*

D 3

VI. Ju-

- VI. *Jure Civili inhabiles, ne quidem ad causas pias testari posse, item*
- VII. *Præscindendo à praxi, in terris Imperii Testamentum ad pias causas non aliter valere, ac debitis solennitatibus instructum, sustineo.*
- VIII. *Regulariter Emphyteuta inconsulto domino directo testari potest.*
- IX. *Parentum inter liberos dispositio valer Jure testamenti.*
- X. *An Filiusfamilias Fideicomisso universali gravatus, & legitimam & trebellianicam deduere possit, item*
- XI. *An fratrum filii soli Jure Romano succedant in capita? problemata sunt.*
- XII. *Evidens mihi est, possessorem b. f., in quantum ex consumptis fructibus est ditior, & nondum usuccepit, restituere debere.*
- XIII. *Bona ecclesiastica sine consensu capituli alienata à Laicis non posse præscribi videtur.*
- XIV. *Cur ficta promissio deflorantem præcise obliget ad matrimonium, non video. Nec*
- XV. *Votum subsequens priora solvere sponsalia, evinci potest.*

- XVI. *Præter mortem nullo modo alio matrimonii consummati vinculum solvi posse, mihi evidens.*
- XVII. *In cuius ædibus ortum est incendium, vel tenetur damna vicinis illata reparare vel casum docere.*
- XVIII. *Reus à Jūdice collusore absolutus, denuo potest repeti. Ut &*
- XIX. *ille, qui defectu probationis est absolutus, si probationes se offerant.*
- XX. *Licet fur pœna capitis affectus sit, ad rem tamen furtu ablatem, aut pretium hæredes conveniri possunt.*
- XXI. *Furtum tertia vice iteratum suspendio puniendum, licet valor triplicis furti simul sumptu non sit magnus.*
- XXII. *Raptor non obstante art. 126. gladio non est feriendus, nisi vel ferro, vel sæpius vel in itineribus publicis grassatus fuerit.*
- XXIII. *Malè Mathæ. de afflct. l. 5. §. I. C. de perduel. quo ad filios iniquam asserit, quamvis*
- XXIV. *Verùm sit nepotibus eam non esse applicandam.*



Ingenium tardum suevis, injuria fingit,
 Ingenium suevis ad properasse, doces.
 Quando ætate minor legum male tecta resolvis,
 Longo usu doctis expedienda viris.
 Hinc te victorem lauris astræa decorat,
 Esse pigros suevos, sic revocâsse jubet.
 Omnibus ingenium, mores, si sacra placerent,
 Quæ tibi, noster amor, non nisi sueve fores.
 Dives honore, patris si sis delapsus ad oras,
 In pretio, & precibus Præsidis extet honos.
 Si mihi concedas, nec Dissertatio contra est:
 Nullo pallescens indice, juro fidem.


*Hicce prænibili ac Doctissimo Domino
 Licentiando in perpetuum se recom-
 mendare affectumque contestari vo-
 luit per annum correpetitor.*

J. TH. MÜLLER.

Justinianeam concendis, amice, palæstram
 Descendes victor laurea serta gerens.
 Perges in Patriam doctrinâ clarus; opima
 Mox merces docti sparta laboris erit.
 Quid precer ergo tibi quidnam mea dent tibi vota,
 Quod non doctrinæ fœnora larga dabunt?
 Nunc exantlati desunt tibi digna laboris
 Præmia, quæ donet sors pia, vota volunt.

*Prænibili nec non doctissimo Domino
 respondenti suavissimo suo amico de
 meritis gratulatur honoribus.*

JOH. WILH. WUNDERLICH.



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Centimetres

